

sonis Trinitate et de ejus circa salutem hominum per Christum procurandam providenti dispensatione. *Minus principales* circa varia Dei præcepta positiva, Sacrificia et Sacramenta aliaque salutis media ac circumstantias Redemptoris nostri et Ecclesiæ versantur. Dicuntur autem articuli, seu eorum numerus, crescere vel simpliciter vel secundum quid: *simpliciter* crescunt, si aliquid de novo revelatur antea necdum revelatum: *secundum quid*, si aliquid ante revelatum incipit quoad nos esse credibile. Hoc autem fieri potest tripliciter: 1°. dum revelatio olim jam facta, sed obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur: 2°. dum similis sed controversa, per infallibilem controversiarum Judicem certificatur: 3°. dum revelatio universalis per legitimam auctoritatem applicatur ad singularia. Porro sicut triplicem hanc potestatem Ecclesiæ convenire, sic similiter certum est Ecclesiam nihil unquam definivisse fide divina credendum, nisi quod aut explicite aut formaliter implicite fuerit revelatum.

109. *Dico I.* Articuli principales fidei nunquam creverunt.

*Prob.* Quia imprimis articuli duo generales jam ab ortu mundi constabant omnibus fidelibus, eo quod teste Apostolo, *sine fide impossibile sit placere Deo: Accedentem vero ad Deum oporteat credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Duo autem articuli particulares obscurius saltem jam in lege naturæ ac Moÿsis revelati fuerant et credebantur, præsertim de Christo, explicite a Patriarchis, Magistris et Principibus populi Hebræorum; a vulgo autem profitente fidem veræ Ecclesiæ credebantur implicite, quamvis distincte non cognoscerentur.

*Conf.* Ex SS. Patribus, inter quos S. IRENÆUS, cui consentit NAZIANZ. in Or. 15. de Mach. n. 1., fideles omnes ante Christum natum dicit fuisse vere *Christianos.*, S. AUG. autem ep. 157. (al. 190. n. 6.) ad Optat. sic scribit: *Eadem est fides nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Et Tr. 45. n. 9. in Joan. *Tempora, inquit, variata sunt, non fides; quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur: alium sonum habet, Venturus est: alium sonum habet, Venit. Mutatus est sonus, venturus est, et venit: eadem tamen fides utrosque conjungit; et eos qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt.*

*Si ais* 1°. Deus Exod. 6. ait Moysi: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis.* David Ps. 118. dicit: *Super senes intellexi.* 2°. S. Paulus ad Eph. 3. 5. *Quod aliis, inquit, generationibus non est agnitum (Mysterium Christi) filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu.* Et v. 9. *Illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo.* 3°. Præterquam quod nihil de Trinitatis Mysterio in V. T. aperte contineatur, GREG. M. in Ezech. l. 2. hom. 4. n. 9. notat per Testamentum novum in corde fidelis populi fidem Trinitatis crevisse; ergo simpliciter crevisse dicenda est fides in Deum, Incarnationem et Trinitatem.

R. 1°. *Universim N. Cons.* Ex his enim duntaxat probatur, minus clarum horum articulorum olim notitiam fuisse, quam post exortam Evangelii lucem, neque ita ad omnem etiam populum et quoscumque pervulgatam, ut postea factum est, dum Apostoli mittebantur ad docendas omnes gentes et prædicandum omni creaturæ.

R. 2°. *Speciatim ad 1<sup>um</sup>.* Sensum textus prioris esse: Ego Deus Patribus cognitus fui, et vocatus, *Adonai, Elohim, El, Saddai,* quæ nomina certam aliquam perfectionem instar qualitatis in Deo significant, nempe Domini, gubernatoris, fortis, liberalis, omnipotentis: tibi vero nomen meum essentielle (ponitur enim, non Adonai, sed tetragrammaton) revelo, quod ipsam substantiam meam in se et essentiæ meæ significat; unde liquet, clariorem duntaxat Divinitatis cognitionem *Moysi* præ *Abrahamo, Isaaco et Jacobo* datam fuisse, quemadmodum cum GREGOR. M. hom. supr. cit. in Ezech. n. 12. aliisque Patribus, Interpretes exponunt. Textus posterioris sensus litteralis est, *Davidem* adhuc juvenem sapientiosem fuisse multis senibus ob studium suum assiduam in meditanda lege Domini. Quod si vero præcellentiosem Dei cognitionem sibi ante Patriarchas antiquos his verbis tribueret *David*, nihil diceret nobis contrarium.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Contextum ostendere, quod *Paulus* non tam de mysterio Christi, sed de mysterio vocationis Gentium ad fidem et gratiam Christi loquatur. Utrumque vero non aliter dicitur incognitum a seculis, quam quod tanta claritate itaque expressum et circumstantiis vestitum non innouerit Patriarchis et Prophetis antiquis, atque experimento cognitum fuit ab Apostolis Novique Testamenti Prophetis; eo quod *Isaias* alique jam ante prophetaverint de vocatione gentium ad Christi fidem, et Patriarchæ olim ac Prophetæ notitiam de Christi incarnatione habuerint, ut Christus testatus est de Abrahamo, Joan. 8. 56., *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est.*

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. Tam in libris Moÿsis, quam in Psalmis et Prophetis, non obscure revelatum fuit Mysterium SS. Trinitatis, ut videre est in *Sacra Scriptura dogmatice et polemice explicata;* apertius tamen in Evangelio est annuntiatum; ut adeo merito et ratione hujus tempus Novæ Legis potuerit ab Apostolo dici *lux,* quæ noctem Veteris Legis subsecuta sit: atque hoc, non alio sensu intelligendus est S. GREGORIUS.

110. *Dico II.* Articuli minus principales ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive creverunt simpliciter.

*Prob.* Quia, ut ex SS. Litteris manifestum est, Deus multa successive revelavit *Adamo, Abrahamæ, Moysi, David,* aliisque Prophetis; et vel maxime in Novo Testamento per Christum et Apostolos: sed inter hæc non paucæ sunt veritates, quas supra fidei articulos minus principales diximus; ergo.

*Si ais:* Conclusio S. THOMÆ 2. 2. q. 1. a. 7. hæc est: *Articuli fidei temporum successione creverunt, non quidem quantum ad substantiam, sed quantum ad explicationem et expressam professionem: nam quæ explicite et sub majori numero a posteris credita sunt, eadem omnia a superioribus Patribus implicite et sub minori numero credita fuerunt;* nempe in binis illis articulis generalibus.

R. S. THOMAM substantiam articulorum sumere valde *generalim et confuse,* quatenus nempe omnes articuli reduci possunt aliqua ratione vel ad Deum, vel ad Dei providentiam; non vero proprie et speciatim, quatenus omnes articuli secundum se et veritatem suam singularem et specificam formaliter etiam tantum implicite continerentur in illis binis articulis revelatis. Neque is etiam loquitur de mera et simplici explicatione, quæ sit declaratio, certi-

ficatio aut applicatio veritatis cujusdam jam antea revelatæ; sed de explicatione, quæ sit nova propositio et revelatio distincta ab omni alia priore revelatione; ut patet in articulis præsertim objecta contingentia habentibus, eo quod, cum v. g. hæc vel illa, septem vel tria Sacramenta dari, non magis pertineat ad veritatem revelatæ propositionis de divina providentia, quam septem præcise et hæc dari Sacramenta; nec ut definitio in definito, nec ut pars in toto, nec ut particularis veritas in universali fuerit contenta et consequenter implicite revelata. Quare nec *implicite* credi poterant, nisi valde improprio et hoc duntaxat sensu, quod fideles antiqui parati essent credere omnia objecta, quæ substare possent divinæ auctoritati revelanti.

111. *Dico III.* Articuli fidei a tempore Christi et Apostolorum non creverunt simpliciter, sed tantum secundum quid.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* Quia Apostolis communicata fuit omnium veritatum fidei perfecta notitia; ut patet 1<sup>o</sup>. ex Scriptura, ubi Christus Joan. 15. 15. *Omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et Joan. 16. 13. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 2<sup>o</sup>. Ex Patribus et Conciliis. Ex quibus sufficiat ΕΠΙΦ. hæc. 66. n. 19. scribens, Apostolos accepisse donum, quo Spiritus sanctus omnia ipsis clare exposuerit: et Trid. Sess. 4. in decreto de Canonicis Scripturis Evangelium Christi proponit tanquam *fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ*; additque *hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* 3<sup>o</sup>. Ex eo quod fides Catholica sit simul Apostolica, atque ab Apostolis hæreditaria successione ad nos transmissa: item quod sit *superædificata*, ut ad Ephes. c. 2. 20. dicitur, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*: quæ non haberentur, si articuli fidei quidam fuissent illis incogniti.

*Conf.* Quia, si crevissent post Apostolos articuli, per Ecclesiæ definitiones crevissent: atqui hæc non sunt novæ revelationes, sed duntaxat explicationes secundum unum ex tribus supra citatis modis; et ex ipsa Ecclesiæ praxi liquet in definitionibus faciendis, juxta S. CYPRIANI datum, ep. 74. ad Pompeium (opp. p. 132. ed. Rigalt. 1666.), monitum: *Si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam, et Apostolicam traditionem revertamur.* Quod ipsum ex Actis Conciliorum omnium cognosci potest, ac manifeste declaravit Trid. Sess. 6. in fine Procemii affirmans se non aliud intendere, quam *exponere omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol. Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ Auctor et Consummator docuit, Apostoli tradiderunt, et Ecclesia Catholica, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit.* In quem sensum etiam loquitur Sess. 13. in initio decreti de SS. Eucharistiæ Sacramento.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia experientia et repetito sæpius usu constat, quod ex tempore Apostolorum, occasione hæresum vel alterius necessitatis, Ecclesia per varias definitiones multos fidei articulos et traditiones clarius explicavit, aut quædam certo revelata esse pronuntiavit, aut revelationes ad objecta particularia, tanquam implicite revelata, extendit, assistente semper Spiritu sancto, ut alibi ostendetur, ne in ejusmodi decisionibus erraret; ergo.

112. *Nec dicas 1<sup>o</sup>. contra 1<sup>am</sup>. part.* Apostoli non habuerunt perfectam et plenam articulorum fidei notitiam; tum 1. quia hæc illis necessaria non fuerat: tum 2. quia multa credere non poterant, utpote quorum objecta tempore eorum necdum extiterant; qualia sunt Concilium Tridentinum esse legitimum, hunc numero hominem esse Christi Vicarium, aut vere sanctum: tum 3. quia dici nequit, an Apostoli eam notitiam acceperint statim in die Pentecostes, an successu temporis.

*R. D. Ass.* Non habebant perfectam et plenam fidei articulorum per se singularium notitiam *N.* articulorum particularium in universali revelata contentorum *subd.* non habebant notitiam generalem et ex parte conditionati *N.* particularem et ex parte conditionis *C.* Propositiones singulares de mysteriis fidei nostræ jam a temporibus Apostolorum notæ et creditæ erant fidelibus, ut patet tum ex Scriptura, tum ex traditione, quæ fontes sunt, ex quibus Ecclesia suas definitiones habet; postea vero vel hæreticorum improbitas vel fidelium oscitantia fecit, ut per *Concilia* et *Pontifices* rursus declaranda et explicatius etiam proponenda forent, quæ a Majoribus simpliciter credebantur. Propositiones autem particulares de iis, quorum objectum tempore Apostolorum necdum extiterat, non poterant credi distincte et in particulari; eo quod nullæ species individuae de illis aderant, neque constabat an purificata esset in subjecto particulari conditio, sub qua universalis propositio prædicatum enuntiabat. Credebantur tamen ab Apostolis propositiones universales, particularibus etiam subjectis applicandæ, si conditio purificaretur; quod ad fidem Apostolicam et iis superædificatam satis erat. Unde

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. N. Ass.* ex data modo ratione de fide Apostolica.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D.* Multa credi non poterant explicite et in particulari *C.* implicite et in universali *N.*

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. R.* Probabilius videri quod Apostoli die Pentecostes fuerint quidem instructi fidei mysteriis, quæ tunc nosse oportebat ad docendos Judæos, quibus primo prædicandum erat Evangelium: successu vero temporis plenius edoctos esse alias veritates, prout necessitas postulabat. Hujus ratio est, tum quia Joannes in Apocalypsi multa mysteria de novo revelata accepit: tum quia Petrus Act. 10. per visionem didicit, gentiles æquæ ac Judæos pertinere jam ad fidem Christi: tum quia Act. 15. Apostoli dubitabant de observanda a Gentilibus conversis circumcissione et legalibus in Concilio Hierosolymitano, in quo Spiritus sanctus non tantum eo modo, ut postea in aliis Ecclesiæ Conciliis, sed per novam revelationem videtur astitisse; eo quod pro nova Ecclesiæ novæ etiam revelationes desiderari videantur, quæ Ecclesiæ aliquando plene constitutæ necessariae non sunt, cum factæ Apostolis ac fidei Patriarchis sufficere queant, et ob unitatem debeant.

*Nec dicas 2<sup>o</sup>.* Post Apostolorum tempora imprimis multa sunt privatim revelata; deinde etiam publice vel miraculis vel vocibus de cælo lapsis prodita et confirmata; denique quæ antea impune negari poterant, a Conciliis et Pontificibus definita; quod fieri non potuisset, nisi novæ eorum revelationes accessissent.

*R.* Nos non loqui de revelatione privata, neque etiam de publica qualicumque; sed de ea, quæ pertinet ad fidem Catholicam, seu totam Ecclesiam ad credendum obligat. Dari enim revelationes ad peculiarem quorundam

directionem pertinentes, facile concedimus cum S. Hier. super illud Matth. 11. *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem*, et S. Aug. L. 5. de Civ. c. 26. etc. Denique existentia novæ revelationis probari nequit ex eo, quod nunc quædam credenda sint, quæ antea impune negari poterant; hoc enim licebat non ex defectu revelationis de iis reipsa existentis, sed ex defectu sufficientis applicationis; atque hinc illa quidem etiam olim reipsa ac materialiter de fide erant, non autem de fide obligante.

*Nec dicas* 3°. Debent de facto fieri novæ revelationes; tum 1. quia Spiritus sanctus æque nunc assistit Ecclesiæ loquenti ac definienti, ac olim assistebat Prophetis et Scriptoribus Canonis: tum 2. quia quæ Ecclesia definit, æque credenda sunt, ac illa, quæ illi olim pronuntiaverant; adeo ut, qui negaret veritatem ab Ecclesia definitam, foret hæreticus; ergo.

R. N. A. *Ad prob. 1<sup>am</sup>. N. parit.* vel *D. Æque assistit*, ut novas et olim necdum revelatas veritates definiat, et sic simpliciter novos articulos condantur, ut revelatas olim veritates infallibiliter cognoscat, explicet et ad particularia in illis vere contenta applicet, atque sic articulos duntaxat secundum quid novos proponat C. Assistentia Spiritus sancti respectu Prophetarum consistebat in revelatione seu locutione Dei, vi cuius illi agebantur potius quam agebant; eo quod cognitio prophetica, licet vitaliter procederet ab intellectu, tamen indeliberate fiebat, et ad loquendum impellebat: assistentia autem Spiritus sancti Ecclesiæ concessa stat in speciali providentia Dei, qua dirigatur mens Prælatorum Ecclesiæ ad inquirendam per apta media veritatem, removeantur impedimenta assecutionem veritatis impedire potentia, et illuminetur intellectus ad verum a falso infallibiliter discernendum.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D. Æque sunt credenda formaliter et directe N. indirecte et per quamdam quasi consequentiam C.* Auctoritas enim Ecclesiæ aut ejus definitio non est ratio seu objectum formale fidei, sed motivum duntaxat et fundamentum obligationis ad credendum: unde etiam qui negat veritatem ab Ecclesia definitam, est hæreticus, non quia negat Ecclesiæ factas revelationes aut potestatem condendi articulos; sed quia negat Ecclesiam esse infallibilem in proponendis aut explicandis divinis revelationibus.

113. *Nec dicas cont. 2<sup>am</sup>. p. 1<sup>o</sup>.* Probationes allatæ evincunt nihil latuisse Apostolos; ergo nequidem secundum quid creverunt articuli. 2°. S. TH. 2. 2. q. 1. a. 10. ad 1. ait, *quod in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata*. Et a. 7. ad 1. docet, eos perfectius cognovisse, qui fuerunt viciniore adventui Christi, sicut magis illuminantur, qui sunt propinquiores soli.

*Ad 1<sup>am</sup>. R. N. A.* Cum enim Apostolis sufficerent veritates, pro statu rerum sui temporis necessariæ, et generales pro futuris temporibus, ad Ecclesiam constituendam et in futurum etiam Apostolicam dicendam; frustra quis et gratis probationes allatas extenderet ad cognitionem veritatum particularium, et non necessariam, et propheticam.

*Ad 2<sup>am</sup>. R. S. THOMAM* per primum nihil velle, nisi veritatem fidei fuisse olim sufficienter explicatam pro tempore Christi et Apostolorum; minime vero, quod successu temporis non fuerit necesse quædam magis explicare, ad fidei controversias decidendas ac vitandos errores: continuo siquidem ita pergit: *sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctri-*

*nas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2. Pet. ult.; ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores.* Alter textus ad præsentem quæstionem non pertinet, cum loquatur de notitia articulorum fidei clariore apud eos, qui circa Christi adventum vixerant præ illis, qui in *Lege naturæ et scripta* antea positi minus clare mysterium Incarnationis noscere poterant. Cæterum paritas a sole desumpta adæquata minime est, cum sol sit agens necessarium, Christus vero agens liberum, illuminetque homines et prout vult, et prout temporum ratio desiderat.

## ARTICULUS V.

QUINAM ARTICULI SINT NECESSARIO CREDENDI NECESSITATE MEDII?

114. *Nota.* Quæstio articulos attingit principales. Ex iis generales controversiæ minus patiuntur quam particulares. Proponuntur autem ab Apost. ad Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; ubi sub ratione Dei existentis intelligitur saltem ens perfectissimum et principium rerum omnium; sub ratione remuneratoris autem Dei providentia et justitia, qui cuique pro merito suo reddat mercedem, bonis nempe præmia, malis pœnas. Cum vero providentiæ media aliâ possint esse *naturalia*, aliâ *supernaturalia*, pœnæ etiam ac præmia et hujus et alterius vitæ; nonnulla inter auctores discrepantia est, quibusdam negantibus articulum de remuneratore *supernaturali* esse per modum medii necessarium, aliis tamen communiter id affirmantibus.

115. *Dico I.* Articulus de Deo ut existente et ut remuneratore explicite credere, necessarium est necessitate medii.

*Prob.* Ex sententia PAULI supra cit., quæ sic incipit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem* etc. Sermonem hic autem esse de fide *explicita*, inde patet, quia fides implicita Dei existentis dari nequit, cum primum omnium sit credere Deum; si autem fides explicita requiritur Dei existentis, eandem quoque de Deo remuneratore ex copulatione asseri debet: *necessitatem* medii satis declarat membrum primum de impossibilitate, cui alterum per particulam *enim* adjunctum explicat duplex necessariæ fidei objectum. Hinc damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

*Conf.* Quia sublata fide remuneratoris tollitur omnis spes præmiorum et timor pœnarum, ut S. THOM. Lect. 2. ad text. Pauli inquit: *Non solum est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso: item tolleretur amor amicitiae perfectæ erga Deum; hic enim teste Philosopho L. 8. Eth. est amor mutuus et amicis patens; seu illis non incognitus, infertque mutuam bonorum communicationem: unde sine fide Dei remuneratoris amor quidem benevolentiae simplicis, non autem amor amicitiae perfectus haberi posset.*